



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. De nominibus & elogiis quibus Scriptura Sacra communiter insignitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

istos, & ego scribebam in volumine, atramento. Hinc etiam Psal. 44. lingua Sacri Scriptoris appellatur *calamus Scribae velociter scribentis*, quia nimirum, sicut lingua non eloquitur, & calamus non scribit, nisi verba prius in mente loquentis aut scribentis concepta, & ab ea suggesta & dictata: sic verba ipsa quæ scribuntur à Scriptore Canonico, dictantur à Spiritu Sancto. Hinc demum Gregorius lib. 3. Epist. 40. *Quid est (inquit) Scriptura, nisi quadam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Et in proemio Moralium: *Ipse ergo hæc scripsit, qui hæc scribenda distavit.*

2. Aliqui tamen existimant non omnia & singula Scripturæ verba dictari specialiter à Spiritu Sancto, sed cum de rebus sensui notis & familiaribus sermo est, permitti ut Scriptor Canonicus ea verbis suis scribat, cum speciali tamen assistentia Spiritus Sancti, ut nihil falsum aut indecens loquatur. Ita docent Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ hæresi 12. Melchior Cano lib. 2. de locis cap. 18. Andreas Vega lib. 15. in Trident. cap. 17. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 15. Andreas Duvalius hæc quæst. 1. de objecto fidei, Gravina lib. 4. de verbo Dei scripto contrav. 1. art. 2. & alij. Ratio etiam id suadet, nam in divinis Scripturis multæ res & verba continentur, quæ Scriptoris Sacris naturaliter nota & manifesta fuerunt, ut cum v. g. Apostolus scripsit in suis Epistolis: *Lucas est mecum solus, Trophimum reliqui infirmum, salutant vos tales &c.* Ergo non fuit opus ut Spiritus Sanctus propositiones illas, aut verba hæc materialia, ad eas vel similes exprimendas necessaria, in mentibus Scriptorum efformaret. Nam sicut in necessariis Deus deesse non solet, ita nec in superfluis redundare: superfluum autem fuisset de novo infundere supernaturaliter, quod jam naturali notitiâ satis cognitum atque perspectum Sacris Scripturis erat.

Addo quod Author Ecclesiastici, in prologo, veniam petit, si alicubi in verborum compositione deficiat, quod etiam facit Author libri 2. Machabæorum cap. 15. in fine: ex quo non leve argumentum sumitur, Spiritum Sanctum omnia & singula verba Sacris illis Scripturis non suppeditalisse, sed permisisse, ut aliqua verbis suis, suoque stylo scriberent.

§. II.

De nominibus & elogijs quibus Scriptura Sacra communiter insignitur.

3. Vatrijs solet nominibus Scriptura Sacra insigniri. In primis per excellentiam *Scriptura* appellatur: tum quia ea penè sola digna est quæ legatur aut scribatur; tum etiam, quia ea sola spiritu Dei conscripta est. Item vocatur antonomastice *Biblia*, id est libri, quia omne genus librorum humanorum, omnesque eorum Bibliothecas, longè superat sacrum volumen, quo omnis utriusque testamenti continetur Scriptura. Dicitur insuper *verbum* seu *eloquium Dei*, quia Deus per illam, tanquam per oraculum certissimum, nos alloquitur, mentem suam aperit, & de suarum promissionum infallibilitate certos nos reddit. Nuncupatur etiam *testamentum Dei*, duplici ratione. Prima, quod quemadmodum testamentum, carta est scripta, in qua declaratur ultima voluntas hominis; sic in Sacra Scriptura continetur ultima Dei voluntas, & lex quam Deus vult ab hominibus servari. Secunda, quod

A testamentum est, quo bonorum defertur hæreditas, intercedente testatoris morte, quâ contingente, cum esset antea clausum & obsignatum, aperitur: sic enim per libros sacros defertur nobis hæreditas cælestis, & Christi morte in ea confirmamur, ipsique aperti, legimus in eis nos esse Dei hæredes, ac cohæredes Christi, si cum eo sustineamus, ejusque mandata observemus. Demum Scripturæ, *libri Sancti* appellantur, 1. Machab. 12. *Habentes solatio libros sanctos*, non solum propter sanctitatem Authorum, qui omnes, excepto Salomone, creduntur sancti; sed etiam & multò magis propter sanctificationem, quam animis legentium, per modum objecti ingenerant, vel quia nullum ne levissimum quidem errorem aut mendacium admittunt.

B Varia etiam leguntur apud Sanctos Patres Scripturæ Sacre elogia, quibus ejus dignitatem & utilitatem mirum in modum commendant: Augustinus enim lib. 2. de doctrina Christiana hæc scribit: *Quantum minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Aegypto secum Hebraeus populus abstulit, præ divitijs, quas postea Hierosolyme, maxime sub Salomone consecutus est; tanta est cuncta scientia, etiam utilis, collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientia comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; & cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantius inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Nihil in illis est (subdit Hieronymus) quod non luceat, & splendore suo mundum illuminet, ut etiam quæ parva putantur, Spiritus Sancti fulgeant majestate. Et in prologo super Psalmos: In Scriptura (inquit) habet infans quid lætetur, puer quid laudet, adulescens quid corrigat, juvenis quid sequatur, senior quid præceat. Hinc discant femina pudicitiam, populi inveniant pietatem, viduæ iudicem, pauperes protectorem, advena custodem. Hic Reges inveniant quid audiant, iudices quid timeant. Hæc tristitem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, & omnibus apta medicamenta tribuit. In Scriptura (ait Hugo Victorinus) quidquid docetur, veritas; quidquid precipitur, bonitas; quidquid promittitur, felicitas est. Nam Deus est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria. Merito etiam D. Basilii Scripturam officinæ instructissimæ comparat, quæ omnia & omnis generis pharmaca quibusve morbis suppeditat: ita nimirum ut ex ea Ecclesia, dum tempora erant Martyrum, hauserit constantiam suam & fortitudinem; dum tempora Doctorem, sapientie lumina, flumina eloquentiæ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, errorum everfionem: in prosperis ex ea didicerit humilitatem & modestiam; in adversis magnanimitatem; in tempore fervorem & diligentiam. Præclare etiam S. Gregorius, explicans illud Job, *Habet argentum venarum suarum principium: Argentum* (inquit) est eloquij vel sapientiæ claritas; *vena Sacra Scriptura*: ac si aperiri dicat: *Qui ad veræ prædicationis verba se preparat, necesse est ut causarum origines à sacris paginis sumat; ut omne quod loquitur, ad divine auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis sue firmet.* Demum in libro de speculo Monachorum plura habentur Scripturæ Sacre elogia: illa enim dicitur*

dicatur puteus Jacob ex quo hauritur aqua quæ in oratione funduntur; & ejusdem virga decorticata, cujus intuitu varios bonorum operum fœtus producimus. Vocatur etiam currus igneus Eliæ, quo ad æternam hæreditatem capeſſendam in cœlum vehimur: mons Sion in quo mandata magni Regis traduntur; & panis quem populo in deserto dedit olim Deus, omne in ſe delectamentum habens: Polymita Eccleſiæ veſtis, varijs quæſtionum coloribus depicta, quorum grato aſpectu humanæ mentis curioſitas pleniffimè ſatari poteſt. Item Scriptura magnus ille fluvius eſt, qui egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradifum, qui in quatuor capita dividebatur: Fons, aut Lyranus, quantum ad articulos fidei; fluvius, quantum ad ea quæ ex articulis deducuntur. Dividitur autem in quatuor capita, propter quadruplicem ſenſum quem continet.

Lib. I.
Moral.
cap. 4.

Fluvius planus quidem, ſed altus, ut ait Gregorius, in quo agnus ambulat & elephas notat. Puteus altus, ob ſenſum inſcrutabilem profunditatem. Fons ſignatus: fons, quod perpetuo ſcaturiat, & in hortos Eccleſiæ inſuat; ſignatus, quia difficillima intellectu continet. Liber ſcriptus intus & foris, propter multiplicem ſenſum in ea contentum; & ſeptem ſigillis ſignatus, ob difficillimam ejus intelligentiam. Liber magnus & involutus: magnus ob amplitudinem ſui objecti, pro objecto quippe habet omne ſcibile; & diſciplinæ omnes ac quidquid ſciri poteſt, ſuo ſinu complectitur: involutus, ob quadruplicem ſenſum quem continet, nempe litteralem, myſticum, allegoricum, & anagogicum. Unde Origenes in cap. 1. Joan. *Scriptura* (inquit) *mundus eſt intelligibilis, ſuis quatuor partibus, veluti quatuor elementis conſtitutus, cujus terra eſt veritas in medio inſtar centri, ſcilicet hiſtoria; circa quam aquarum ſimilitudine abyſſus circumfunditur moraliſ intelligentiæ: circa hiſtoriam & ethiceam, veluti duas hujus mundi partes, ær ille naturalis ſcientiæ circumvolvitur: extra autem omnia, & ultra, æthereus ille & igneus ardor empyrei cœli, id eſt ſuperna contemplatio divini naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur.*

Denique quanta fideles primæ Eccleſiæ ſcripturam in veneratione haberent, ex eo conſtat, quod Biblia juxta Euchariftiam in templo olim ponebatur: erant enim olim in templis duo ſecretaria à dextro ſiniſtroque latere abſidis poſita, in quorum altero Sacra Euchariftia aſſervabatur, in altero divini Scripturæ codices ſacri. Unde S. Paulinus (ut ipſe teſtatur Epift. 12. ad Severum) in templo Nolano à ſe erecto, hos verſus ad dexteram altaris inſcribi juſſit:

Hic locus eſt, veneranda penus, quæ conditur, & quæ

Ponitur alma ſacri pompa miniſterij.

A ſiniſtra verò hoſce:

*Si quem ſancta tenet meditando in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.*

§. III.

De diſpoſitione Scripturæ.

Communiter dividitur Scriptura in vetus & novum teſtamentum, ſeu in libros ad legem veterem ſeu Moſaicam ſpectantes, & in libros ad novam ſeu Chriſtianam legem pertinētes. Vetuſ teſtamentum eſt collectio illa librorum ſacrorum qui promittunt venturum Redemptorem, cum præceptis legis antiquæ. Novum verò eſt

Tom. IV.

A collectio illa librorum ſacrorum, quæ promiſſum liberatorem ut præſentem exhibent, cum præceptis novæ legis.

Libri veteris teſtamenti dividi ſolent in quatuor claſſes, ſcilicet in legales, quales ſunt quinque libri Moſis, ſeu Pentateuchus, Genēſis, Exodus, Leviticus, liber Numerorum & Deuteronomij. Hiſtoriales, ſcilicet Joſuæ, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Job, Eſdras, Tobias, Judith, Eſther, Machabæi. Sapientiales, ut Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus. Et libros Prophetales, quatuor nempe majorum Prophetarum, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel; & duodecim minorum, Oſeas, Joel, Amos, Micheas, Abdias, Jonas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Libri autem novi Teſtamenti ſunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, legalibus libris correfpondentia, Acta Apoſtolorum quæ hiſtorialibus correfpondent, Epistolæ D. Pauli quatuordecim, una D. Jacobi, duæ D. Petri, tres D. Joannis, & una Judæ, quæ libris Sapientialibus correfpondent, & Apocalypſis D. Joannis, quæ correfpondet libris Prophetarum.

Horum librorum quidam dicuntur Canonici, quia eos à Spiritu Sancto tanquam præcipuo auctore prodiſſe, per Eccleſiam conſtat; alij verò Apocryphi, id eſt occulti, de quibus an à Spiritu Sancto manarint, incertum & occultum eſt; ideoque à ſacrorum librorum catalogo, eo nomine meritò rejiciuntur. Pro Canonicis, conſtans eſt omnium Catholicorum ſententia, omnes illos qui in Latina vulgata Bibliæ editione continentur, eſſe Canonicos, præter orationem Manasſe Regis Juda, cum captus teneretur in Babylone, duos poſteriores libros Eſdræ, & duos etiam poſteriores Machabæorum, qui propterea in ſine Bibliæ, extra ſeriem librorum Canonicorum poſiti ſunt. His enim duntaxat exceptis, Sacra Synodus Tridentina, alios pro Canonicis ſuſcipiendos decrevit ſeſſ. 4. ubi poſt recensitum illorum numerum, ſcilicet quadraginta quinque ex veteri teſtamento, & viginti ſeptem ex novo, hæc verba ſubduntur: *Si quis autem libros illos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, non receperit pro ſacris & Canonicis, Anathema ſit.* Idem ſacrorum librorum canon fuerat prius editus à Florentino in decreto Eugenij, & ante mille centum annos à Concilio Carthagenſi 3. cap. 47. & ab Innocentio I. in Epistoła 2. ad Exuperium, & à S. Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. qui prædicto Concilio Carthagenſi interfuit, & ſubſcripſit. Hi tamen Baruch expreſſam mentionem non faciunt, ſed eum ſub Jeremia comprehendunt, quia Baruch fuit ſcriba Jeremiæ, ut patet ex Jeremiæ 36. ideoque veteres prophetiam Baruch citantes, citant ſub nomine Jeremiæ, ut pluribus exemplis oſtendit Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 11.

Porro libri Canonici ſunt duplicis generis, alij enim vocantur Proto-canonici, alij Deutero-canonici. Priores ſunt illi de quibus in Eccleſia Dei nunquam à Catholicis hætenus dubitatum fuit. Poſteriores verò de quibus nonnunquam ab aliis Catholicis eſt dubitatum, ſed tamen amplius non dubitatur ab ullo Catholico. Proto-canonici ſunt infra ſcripti: Pentateuchus, ſive quinque Moſis libri, Genēſis, Exodus, Levi-

Ii